



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Art. III. De officio Confessarij circa Pœnitentiam injungendam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37144**

nitur, in se formaliter peccatum mortale, ergo qui non vult relinquere, non est dispositus ad absolutionem. Tan. l. c. n. 108. nisi necessitas adsit tanta, quæ excuset ab obligatione Legis, atque ita occasione demat rationem peccati, & scandali activi. Unde in casu tantæ necessitatis, qui utriusque non est frequens, etiam publicus peccator, licet occasionem proximam non vellet dimittere, posset absolvi, quia scandalum esset tunc non datum, sed tantum acceptum & passivum. vide Tamb. l. 3. c. 3. n. 12.

## §. XI.

## De absolutione danda, neganda vel differenda.

107. Denique generatim loquendo Confessarius audita pœnitentis confessione, vel judicat ex sufficienti fundamento eum esse ritè dispositum ad absolutionem percipiendam, vel non esse. Si hoc posterius, tunc Confessarius debet, quantum potest, laborare, ut eum ritè disponat: neque potest eum non absolutum sine gravi causa dimittere, inquit Laym. l. 5. tr. 6. cap. 13. n. 10. V. Dico III. ut sup. n. 103. saltem si absque culpa sua venerit indispositus. Palao de pœnit. Disp. un. p. 18. §. 2. n. 12. quia causa Judicii Sacramentalis capta est, ergo si, cum commodè potest, non perficitur, inferitur grave onus pœnitenti; & non levis irreverentia Sacramento. vide sup. n. 84. & inf. num. 132. Sin autem Confessarius prudenter judicet, pœnitentem esse ritè dispositum (signa ex quibus id judicare potest allata sunt sup. lib. 1. p. 2. n. 104. & 114.) tunc ei non potest simpliciter negare absolutionem, ut dictum supra cit. n. 87. An autem liceat

eam differre, dubium est. Nam Joann. Sanch. Disp. 9. n. 12. contendit, id nequidem cum pœnitentis consensu, utpote non rationabili fieri posse. Sed rectius alii affirmant, & quidem non tantum, si pœnitens consentiat (quod prudenter facit in ordine ad hoc, ut adhuc melius se disponat) sed etiam absque ejus consensu, si Confessarius prudenter judicet, dilationem ei profuturam, ut gravitatem peccati melius agnoscat, magis caveat à relapsu &c. vel si Confessarius ex justa causa, ut potest, velit pœnitentiam ante absolutionem impleri. Nam etsi Sacramentum captum debeat perfici, & pœnitenti Jus suum tribui, necesse tamen non est, ut semper statim fiat. Confessarius quoque non est tantum Judex, sed etiam Medicus; ergo dilationem absolutionis, cum aliquo modo necessaria videtur, potest tanquam medicinam pœnitenti etiam invito applicare. Tamb. de conf. l. 3. cap. 3. n. 14. & 15. Dicast. Disp. 6. n. 374. qui tamen rectè monet, hoc remedium ordinariè non expedire, nec facilè adhibendum esse pœnitentibus ritè dispositis & invitis, ut sup. lib. 1. p. 2. n. 107. pluribus probatum est. Juxta quæ intelligendum est & hoc à S. Franc. Xaverio Confessariis quoad graves peccatores dari solitum documentum. lib. 6. vita. cap. 17. Confessionem non continuo sequatur absolutio.

## ARTICULUS III.

## De Officio Confessarii circa Pœnitentiam injungendam.

De hac prout à pœnitente implenda est, actum fuit jam sup. lib. 1. p. 4. à n. 5. Superest



perest dicere de Confessario, ut eandem legitimè injungat.

§. I.

*Quid sit, & operetur Pœnitentia sacramentalis?*

108. Pœnitentia autem pro satisfactio-  
ne sacramentali sumpta est bonum ali-  
quod opus à Confessario injunctum pœ-  
nitenti ad persolvendam pœnam tempo-  
ralem pro remissis peccatis adhuc debi-  
tam. Nam quòd unacum culpa peccati  
semper etiam remittatur univerſa pœna,  
error est, qui *per illustria in sacris litteris  
exempla, & per divinam traditionem ma-  
nifestissimè revincitur.* Trid. *sess. 14. cap. 8.*  
ibique multis etiam rationibus refellitur.  
Remanet ergo communiter post dimis-  
sam culpam peccati, & pœnam æternam,  
adhuc pœna aliqua temporalis in hoc vel  
alio seculo luenda, ut etiam ex SS. Pa-  
tribus fulè probat Laym. *lib. 5. tr. 6. cap. 15.  
n. 2.* quam ut tanto melius in hac vi-  
ta expiare possimus, voluit Christus  
præter alia media, quæ in Ecclesia habemus,  
etiam Sacramentum Pœnitentiæ ita  
instituire, ut in eo pœnitentibus injun-  
gerentur à Confessario opera quædam  
pia, illique pro residua temporali pœna  
satisficeret. In pœnitente enim, præter  
contritionem & confessionem, etiam sa-  
tisfactio *ad integritatem confessionis ex  
DEI institutione requiritur*, ut loquitur  
Trid. *cit. sess. 14. cap. 3.* Unde jam etiam  
pars Sacramenti Pœnitentiæ est, & di-  
citur; sed integralis tantum, non es-  
sentialis, quia non concurrit ad culpæ &  
pœnæ æternæ remissionem, cum hæc per

absolutionem fiat, antequam existit satis-  
factio.

109. Opera quoque pia, prout sunt  
pœnitentia seu satisfactio sacramentalis,  
habent vim non tantum ex opere operan-  
tis, sicut quævis alia, sed etiam ex opere  
operato. Tan. *Tom. 4. Diss. 6. q. 8. à  
n. 21.* Laym. *l. c. n. 14.* Dicast. *de pœnit.  
Diss. 14. n. 151.* non tamen ad remittendam  
culpam, aut pœnam æternam, ut paulò  
antè dictum; neque ad conferendam vel  
augendam gratiam sanctificantem, ut ex  
probabiliore doceat Tan. *l. c. n. 23.* sed tan-  
tum ad remittendam pœnam tempora-  
lem pro remissis peccatis adhuc debitam.  
Ratio est, quia omnis pars Sacramenti  
habet vim efficiendi ex opere operato id,  
quod significat; atqui opera nostra,  
quatenus sunt pro pœnitentia sacramenta-  
li injuncta, sunt pars Sacramenti, & eate-  
nus significant remissionem pœnæ tem-  
poralis, utpote satisfactoria, & satisfactio;  
ergo eandem remissionem ex opere ope-  
rato efficiunt. Unde jam fit, ut sem-  
per aliqua pars pœnæ remittatur per opus  
pium pro pœnitentia sacramentali impo-  
situm, etiam si sit minimum, & pec-  
catis improportionatum. Tan. *l. c. n. 25.*  
v. g. elemosyna unius oboli; imò etiam  
insuper opus ejusmodi ex fine ei extrinse-  
co, ad quem à pœnitente, cum ad nullam  
aliam intentionem obligatus est, unice  
refertur, sit venialiter malum, & forma-  
le peccatum. Laym. *cit. cap. 15. n. 14. v.  
Dico II.* Dicast. *l. c. n. 153.* quia per neu-  
trum hoc impeditur effectus remittendæ  
pœnæ ex opere operato procedens; sicut  
nec impeditur in aliquo Sacramento v. g.  
Eucharistiæ; quòd, etsi minima ejus par-  
ticula



## §. II.

An semper imponenda? &  
quando?

vicula sumatur, & tantum in ordine ad finem malum, sed solum venialiter; tamen effectum, quem ex opere operato habet, adhuc producit.

Sed & Laym. *l.c.* ulterius infert, quod modica pœnitentia sacramentalis plus debeat de pœna temporalis, quam magna proprio motu suscepta. Item quod sicut Sacramenta ex opere operato producunt majorem gratiam in suscipiente magis disposito; ita etiam pœnitentia sacramentalis tanto plus pœna temporalis ex opere operato tollat, quanto ipsa est major, & eam peragens est magis dispositus; atque adeo, quod etiam pœnitentes optare debeant, ut ipsis à Confessariis non leves, sed magnæ pœnitentiæ imponantur; nisi justæ causæ subsint eam minuendi, de quibus *infra* n. 120. & *seq.*

Quod si quis injunctam pœnitentiam peragat, in ordine ad finem mortaliter malum, vel in statu peccati mortalis, satisfacit quidem ille præcepto Confessarii, ejusque obligationi, nec tenetur illam iterum peragere. Laym. *l.c.* n. 15. & Tan. *l.c.* n. 17. (modò per hoc non ipsa operis injuncti substantia mutetur, ut bene observat Tan. *l.c.* n. 27. & *seq.*) sed per eam nihil obtinet remissionis ex pœna temporalis, cum sit inimicus DEI, adeoque indignus, cui fiat aliqua remissio. Dicast. *cit.* *Disp.* 14. n. 166. An autem postea remoto obice consequatur; est quidem pium credere, sed valde incertum, multis affirmantibus, multis negantibus apud Tan. *l.c.* n. 27. vide Lugo de pœnit. *Disp.* 25. n. 41. & *sup.* *lib.* 1. p. 4. n. 12. Laym. *l.c.* Dian. p. 3. tr. 4. Ref. 85.

110. Confessarius, per se & regulariter loquendo, tenetur confitenti injungere pœnitentiam; constat ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. ubi: *debent, inquit, Sacerdotes Domini saluatares, & convenientes satisfactiones injungere.* Et ratio est, quia ex suo officio debet tanquam Judex debitam pro peccatis pœnam exigere, & tanquam Medicus pœnitentiam à relapso præservare, & tanquam Minister Sacramenti illud integrali sua parte non mutilare. Unde patet, hanc Confessarii obligationem esse gravem & sub mortali, sed tantum ex genere suo & ordinariè. Tan. *cit.* *Disp.* 6. q. 8. Si enim Confessarius deliberatè, absque contemptu tamen, omitteret pœnitentiam injungere illi, qui tantum de venialibus; vel de mortalibus quidem, sed jam antè semel ritè expiatis se accusaret, peccaret tantum venialiter ob parvitatem materiæ, cum ob ejusmodi peccata levis tantum injungenda sit pœnitentia. Lugo. *Disp.* 25. *sect.* 4. n. 49. Tamb. *l. 4. cap.* 1. §. 1. n. 1. Dian. p. 6. tr. 6. Ref. 44. contra Palao de pœnit. *Disp.* un. p. 21. §. 2. n. 6. qui putat, Ministrum hinc non leviter peccare, quando Sacramentum etiam levi tantum parte integrali mutilat. Sed non bene, cum hoc ipsum ille ex communi negare debeat de omissione levis integralis partis in Baptismo, Ordine &c.

Dixi autem *per se & regulariter*; quia dantur aliqui casus in quibus licitè dari potest



potest absolutio sine inuncta pœnitentia; nimirum I. si moribundus jam sit sensibus destitutus, & nihil amplius possit percipere; tunc enim frustra injungeretur. Moribundo autem adhuc sui compoti potest imponi pœnitentia levis, v.g. semel atque iterum suos dolores offerre DEO, vel dicere: *fiat voluntas tua!* vel corde aut ore pronunciare nomen JESU & MARIE: vel, si mereatur, etiam gravis, tempore recuperatæ sanitatis peragendæ; vel largitio elemosynæ; vel ut jam antè in testamento præscriptam renovet, & ratificet. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 15. num. 13. Dicast. cit. Disp. 14. n. 14. II. si pœnitens statim post absolutionem se iterum accuset de novo aliquo peccato antè omissio, potest iterum absolvi sine nova pœnitentia; modò Confessarius implicitè velit, vel saltem explicitè dicat, ut universim pro omnibus suis peccatis pœnitentiam antea inunctam peragat. Gobat. tr. 7. n. 743. contra Palao hîc Disp. un. p. 21. §. 2. n. 10. Hoc ipsum docet Tamb. l. c. n. 5. Lug. de pœnit. Disp. 25. sect. 4. n. 50. Dian. p. 6. tr. 7. Res. 6. contra Tan. l. c. n. 7. Palao l. c. & alios de scrupuloso, si intra unam horam sæpius cum iisdem, vel etiam novis peccatis redeat. Ratio, quia etiam in foro externo fieri solet, ut in posteriore Judicio de delicto, non tantùm eodem, sed etiam novo, non semper alia & nova, sed eadem numero pœna dicitur, cum nimirum reus non videtur aliâ novâ dignus, vel ad aliam condignam non satis habilis. III. Si Confessario divinitus revelatum esset, pœnitentem jam perfectè satisfecisse, & extra periculum esse ite-

randi peccata confessa. Tamb. l. c. n. 2. quia ubi non est debitum pœnæ, aut periculum morbi, nulla opus est pœnitentia, aut medicina. IV. Idem aliqui volunt, si constet pœnitentem lucratum, vel brevi lucraturum esse Indulgentiam plenariam. Sed rectè Dicast. l. c. n. 19. id tantùm concedit, si de hoc moraliter certò constet; vel saltem pœnitens ad lucrandam Indulgentiam obligetur. V. Si Confessarius probabiliter existimet, pœnitentem propter vehementiam contritionis vel opera pœnitentiæ jam antea sponte peracta, plenè jam pro peccatis satisfecisse, Palao l. c. n. 8. cum aliis; qui tamen addunt, Confessarium non posse facilè id cognoscere, & propterea Palao ait, casum hunc esse moraliter impossibilem. Quidquid autem sit, nihilominus hîc, uti & tempore Jubilæi aliarumque Indulgentiarum debet ex communi semper imponi pœnitentia saltem medicinalis. VI. Si pœnitens paulò post esset Martyrio afficiendus; idque sibi certum esse dicit Dicast. l. c. n. 16. VII. Denique juxta aliquos, si Confessarius videat, quòd pœnitens nullam sit accepturus vel executurus pœnitentiam. Sed hoc alii communiter rejiciunt, quia etsi probabile esset, pœnitentem non teneri acceptare aut implere pœnitentiam; Confessarius tamen propterea non sufficienter excusatur ab ea injungenda. Palao l. c. n. 11. quia ipse debet saltem suum officium facere, & alioqui daret pœnitenti occasionem liberius peccandi.

An ante vel post absolutionem imponenda sit, vide *sup. n. 87.*



§. III.

*Quomodo imponenda?*

III. In iis casibus, in quibus pœnitentia imponenda est, potest eam Confessarius imponere per modum præcepti; & nisi aliud exprimat, semper censetur ita imponere, quia Judex est, & potestatem habet non tantum solvendi, sed etiam ligandi. Et verò Palao *l. c.* §. 3. n. 11. cum aliis multis relatis à Dian. p. 3. tr. 4. Ref. 28. & Dicast. cit. Disp. 14. n. 49. docet, quòd Confessarius teneatur semper per modum præcepti pœnitentiam injungere; alioquin eam non fore sacramentalem, nec habituram effectum ex opere operato; quia non procederet ex potestate clavium, sed ex libera voluntate Pœnitentis. Nihilominus tamen alii non pauci è contrario dicunt apud Dian. mox citandum licitè posse à Confessario pœnitentiam imponi etiam per modum Consilii tantum. Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 10. n. 11.* quia pœnitentiæ, quæ hodie injungi solent, plerumque sunt tantum medicinales. Laym. *l. 5. tr. 7. cap. 3. n. 2. v. Adde.* ergo cum Confessarius non sit tantum Judex, sed simul etiam Doctor, & Medicus, potest eas licitè quandoque, non ut Judex præcipere, sed ut Medicus consulere. Quo casu opus præscriptum est quidem pœnitenti liberum; quia tamen est à Confessario designatum, ideo, si fiat, procedit adhuc à potestate clavium, estque adeo adhuc sacramentale, & agit ex opere operato. Dian. p. 3. tr. 4. Ref. 82. & p. 4. tr. 4. Ref. 241. v. *Nota tertio.* & p. 11. tr. 7. Ref. 3. Unde Dicastillo *l. c. n. 44.* rectè concludit, utramque istam sententiam esse probabilem, ut proinde Con-  
R. P. Stoz Trib. Pœnit. Lib. II.

cessarius etiam posteriorem tutò sequi possit in praxi, quoties prudenter judicaverit expedire.

Licitum quoque est, ut Confessarius pœnitentiam injungat, non absolutè, sed conditionatè tantum, & quidem etiam totam. Gobat. *tr. 7. n. 755.* cum Suar. dicendo v. g. 1. si veneris Oetingam, recita Rosarium. 2. si convalueris, audi Missam. 3. si iterum blasphemaveris, jejuna; rectèque Gobat ait, hunc postremum modum esse perquam salutarem. Cùm autem pœnitens tunc conditionem ultimam purificare nunquam; & secundam sæpe non possit; primam verò juxta Dicast. *l. c. n. 43.* non teneatur, quia nihil adest, vi cuius obligetur; hoc ipso admitti jam debet, pœnitentiam licitè posse imponi absque præcepto. Ne tamen deinde ob conditionem non purificatam videatur Sacramentum Pœnitentiæ integrali sua parte mutilatum, ipsa voluntas acceptandi pœnitentiam conditionatam, utpote meritoria, & satisfactoria, potest pro pœnitentia haberi, ut indicat Dicast. cit. Disp. 14. n. 14.

§. IV.

*Qualis possit imponi, seu quænam opera?*

III. Confessarius potest pro pœnitentia injungere univèrsim quodlibet opus honestum, quia omne tale opus, cum adversetur alicui bono, quod est delectabile, vel saltem utile ad delectabile, involvit semper aliquam difficultatem, & molestiam. Lug. *de pœnit. Disp. 24. n. 41.* & seq. ergo hoc ipso semper est simul  
I etiam



etiam pœnale, & satisfactorium, aptumque injungi pro pœnitentia non tantum medicinali, sed etiam vindicativa. In specie autem loquendo potest ex operibus honestis injungi

I. Etiam illud, quod est merè internum, ut sunt actus intellectus & Voluntatis, v.g. Fidei, Spei, Charitatis &c. quia vel non requiritur, ut quævis pars Sacramenti sit sensibilis; vel certè sufficit, si sit sensibilis in alio. Sicut enim contritio fit sufficienter sensibilis in confessione externa; ita & actus merè interni fieri possunt sufficienter sensibiles in impositione Confessarii; & acceptatione pœnitentis. Dian. p. 4. tr. 4. Ref. 241. in fine. Dicast. cit. Disp. 14. n. 85.

II. Ex operibus externis quandoque etiam tale, quod pœnitens non potest, nisi videntibus, aut scientibus aliis peragere, uti est jejunium, flagellatio &c. quia per hoc nihil læditur sigillum Confessionis; cum non possit aliis constare, an pœnitens opus ejusmodi ex spontanea pietate, vel ex injuncta pœnitentia peragat, vel certè, si quando id pateat, manifestatio fiat cum consensu pœnitentis sponte acceptantis talem pœnitentiam. Dicast. Disp. 14. n. 86. qui hoc videtur intelligere per pœnitentiam publicam, quam concedit posse quoque in foro interno imponi, & quidem etiam pro peccatis occultis. Sed Tannerus tom. 4. Disp. 6. q. 8. n. 9. Bonac. tom. 1. Disp. 5. q. 5. sect. 3. p. 2. n. 14. cum aliis admittit tantum pro publicis, & publicè scandalosis. Et verò nemini pro occultis est facilè injungenda pœnitentia publicè, seu coram aliis peragenda, ut optimè jam antè monuit Dicast. l. c. n. 48. Reginald. l. 7. n. 32.

& 52. & Laym. l. 5. tr. 6. cap. 15. n. 11. ne scilicet inde aliis ingeneretur, vel antè jam concepta roboretur suspicio de gravi aliquo, & adhuc occulto peccato pœnitentis peccato cum ejus infamia, ortianturque gravia diffidia, aliæque incommoda inter conjuges, domesticos &c. vide Palao de pœnit. Disp. un. p. 21. §. 3. n. 5.

113. III. Opus jam antè ex aliquo præcepto, voto, aliòve titulo debitum. Lugo de Pœnit. Disp. 25. n. 67. Dicast. cit. Disp. 14. n. 89. Palao de pœnit. Disp. un. p. 21. §. 3. n. 1. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 15. n. 10. alii communiter, quia præceptum non obstat, quo minus tale opus adhuc sit satisfactorium. Et verò conveniens est, ut ei, qui præceptum v.g. Jejunii, Missæ &c. facilè negligit, ejus observatio etiam pro pœnitentia injungatur. Laym. l. c. v. Notant. Quod si autem pœnitens etiam postea adhuc omittat v.g. Jejunium, committet duplex specie distinctum peccatum, unum contra virtutem Temperantia propter violationem præcepti Ecclesiæ de jejunio; alterum contra virtutem Pœnitentiæ propter violatum Præceptum Confessarii. Dicast. l. c. n. 93. debetque in confessione dicere: violavi semel Jejunium ab Ecclesiâ præceptum, & simul pro pœnitentia à Confessario injunctum.

Communiter tamen Confessarii debent injungere pro pœnitentia opus, quod non jam antè est sub aliqua peccati obligatione debitum, ut homines magis à peccatis absterreantur, perfectiusque pro iis satisfaciant. Atque ita semper præsumendum est, nisi ipse Confessarius aliud exprimat, vel ex circumstantiis sufficienter aliud appareat; uti apparet, si

Con-



Confessarius dicat: per medium annum quovis Festo audies duo sacra, quovis sabbato jejunabis &c. satisfacis enim, si quovis Festo præter factum ex præcepto Ecclesiæ debitum audias tantum adhuc unum; & incidente in illud tempus & diem Quadragesimâ, Angariâ, Vigiliâ &c. satisfacis per solum ab Ecclesia præceptum jejunium. Sic etiam Sacerdos, si pro pœnitentia jubeatur recitare unam, aut plures ex horis Canonicis, non teneatur illam, vel illas aliquo die bis dicere, sed satisfacit per recitationem jam antè ex præcepto Ecclesiæ debitam; nisi Confessarius expressè aliud velit. Quod si pœnitens sit ad aliquid v. g. Jejunium adstrictus ex particulari tantum suo voto, & Confessarius voti ignarus simile opus jungat, tunc debet de voto edoceri, ut constet, an præter opus ex voto debitum velit aliud injungere, vel non. Per ea verò opera, quæ tantum ratione alicujus confraternitatis sunt debita, potest omnino aliquis injunctæ pœnitentiæ satisfacere; quia cum ejusmodi opera non sint sub obligatione peccati debita, manent adhuc verè libera & supererogatoriâ.

114. IV. Omisio sacre Communionis; sed in iis tantum circumstantiis, in quibus est, sicut quandoque esse potest, honesta. Lug. l. c. n. 65. Dicast. l. c. n. 104. & alii contra Joan. Sanch.

V. Ut quis Matrimonium inear, injungi potest pro pœnitentia, si ad id jam antè Jure aliquo teneatur; si non teneatur, potest injungi; vel per modum Consilii tantum; vel etiam per modum præcepti, si ipse pœnitens sponte acceptet, & consentiat. Vult quidem Leander, &

Navar. apud Dian. p. 11. tr. 7. Res. 3. v. Hinc oritur, hoc posse Confessarium etiam facere, cum certò ei constat, quòd Matrimonium sit pœnitenti futurum contra peccata carnis remedium. Sed non probo, nisi simul sit necessarium, & unicum; quale fortè nunquam, vel non nisi rarissimè erit; & æquè rarò poterit certò de eo constare Confessario. Rectius ergo Fagund. præc. 2. lib. 9. cap. 5. n. 4. & Laym. cit. cap. 15. n. 11. in fine. Palao de pœnit. Diss. 112. p. 21. §. 3. n. 7. negat, posse à Confessario aliquem obligari, ut pro pœnitentia Matrimonium contrahat.

VI. Potest pro pœnitentia injungi opus pro animabus in Purgatorio offerendum, Meditatio v. g. Jejunium, Rosarium &c. Lug. l. c. n. 62. Dicast. Diss. 14. à n. 93. Tamb. de conf. l. 4. cap. 1. n. 16. Dian. p. 3. in addit. Res. 11. & p. 11. tr. 8. Res. 26. contra Joann. Sanch. Bordon. Mendo. & alios, apud ipsum; sicut potest imponi largitio Eleemosynæ pro alendo paupere, aut solutio pretii pro redimendo captivo. Nam in tali pœnitentia involvuntur duo. Unum est opus internum vel externum, quod pro defunctis, vel aliis offertur, iisque applicatur, v. g. Jejunium, oratio Rosarii &c. cum omnibus suis ad essentiam Jejunii, Orationis &c. requisitis, estque injunctæ pœnitentiæ pars tantum materialis, vel objectiva. Alterum est alia quædam bona intentio, & voluntas seu actus internus, quo opus illud, oratio v. g. ex mandato Confessarii applicatur defunctis, & ad distinctionem dici potest injunctæ pœnitentiæ esse pars formalis. Utrumque, quia est quid honestum & virtuosum



sum, habet præter fructum meritorium & impetratorium, etiam satisfactorium. Etsi ergo opus seu materialis pars pœnitentiæ v. g. oratio, ejusque fructus satisfactorius totus cedat in bonum defuncto- rum, quibus applicatur; internus tamen ille charitatis actus, quo opus seu oratio defunctis applicatur, remanet pœnitenti; & quia ei à Confessario præcipuè imponitur pro pœnitentiâ ( utpote ejus pars formalis ) satisfacit pœnitens per eum ex opere operato pro remissis suis peccatis. Lug. & Dicast. *ll. cc.*

Quando ergo Adversarii objiciunt, esse contra Institutionem Christi, & rationem Sacramenti Pœnitentiæ, ut pœnitentiâ applicetur alteri quàm pœnitenti; facilis est responsio. Id enim concedo, si pœnitentiâ adæquatè tam quoad partem materialem, seu objectivam, quàm quoad formalem applicetur alteri; nego autem, si applicetur alteri quoad materialem tantum partem, & quoad formalem maneat applicata pœnitenti. Idem omnino est, si alicui pro pœnitentiâ injungatur, ut pro defunctis det eleemosynam pauperi. Quod si autem injungatur tantum simpliciter, ut det eleemosynam pauperi, tunc est aliqua disparitas; quia tunc pœnitens dando eleemosynam non tenetur ullum alium actum, quàm præcisè Misericordiæ erga pauperem elicere; & satisfactio tam ex interno, quàm ex externo actu Misericordiæ proveniens remanet tota pœnitenti, tollitque ex opere operato pœnam temporalem pro peccatis adhuc debitam: ad pauperem verò pervenit sola utilitas ex re, quæ ipsi datur. Vide Dicast. & Lugo *ll. cc.* qui alios adhuc duos modos non malos ostendit,

propositam difficultatem expediendi; nempe ut ex pœnitentiâ v. g. oratione pro defunctis imposita ( sive jam partialiter & inadæquatè sumatur, sive totaliter & adæquatè ) dicatur ille tantum ad defunctos pertinere fructus satisfactorius, qui provenit ex opere operantis; ille autem pœnitenti remaneat plenè, qui provenit ex opere operato; de quo *sup. n. 109.* vel ut dicatur, ex ea fructum tantum impetratorium applicari defunctis. Sed quod antè dixi, est expeditius.

## §. V.

*Quid sit de illa clausula: Quidquid boni feceris, & mali sustinueris.*

115. VII. Denique injungi pro pœnitentiâ potest ex operibus honestis aliquid indeterminatum tantum, & in genere: v. g. *quidquid sequenti septimana boni egeris.* Bonac. *tom. 1. Disp. 5. q. 5. sect. 3. p. 2. n. 13.* Tan. *tom. 4. Disp. 6. q. 8. n. 30.* maximè unacum aliquo alio opere particulari & determinato. Reginald. *l. 7. n. 23.* Ratio, quia materia, quæ est essentialis pars Sacramenti, potest esse indeterminata, nimirum aliquod peccatum mortale in genere, cum speciei non amplius sumus memores. *sup. n. 103.* ergo etiam pœnitentiâ, quæ est tantum integralis pars Sacramenti, potest esse aliquid indeterminatum.

Unde in oratione *Passio Domini*, &c. de qua *sup. n. 81.* si Confessarius verba illa: *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris:* proferat cum expressa intentione imponendi alicui pœnitentiâ ( saltem consultivè, si non præceptivè ) tunc satis

paret,



patet, quod subsequentes ejus honestæ actiones & perpersiones, sicut alia sacramentalis pœnitentia, habeant singularem vim satisfaciendi pro peccatis ex opere operato; sed ut Suar. *Disp. 38. sect. 6. in fine* rectè limitat pro illis tantum peccatis, à quibus pœnitens in ea confessione fuit absolutus. Cui limitationi ipsa quoque lecta ratio addit hanc; quod per universalem illum terminum *Quidquid boni &c.* non intelligantur injungi omnia bona opera totius vitæ, ut aliqui malè putant; sed ea duntaxat, quæ ad totam temporalem pœnam pro peccatis tunc remissis persolvendam sunt necessaria; possuntque pro ratione pœnæ debitæ majoris vel minoris, vel pro qualitate diversâ operum subinde esse multa, subinde pauca, quandoque unum etiam minimum, vel etiam omnino nullum, si pœnitens jam antè alio modo pœnam omnem expunxit. Quis enim, quæso, ex Confessariis prudenter velit, aut possit injungere plura alia.

Quod si autem res ita se habet, cum Confessarius expressè vult per illud: *Quidquid boni &c.* injungere pro pœnitentia sacramentali subsequenter opera; tunc omnino idem etiam erit, cum id implicitè vult: eadem enim vis est impliciti & expliciti; atqui omnes Confessarii, cum dicunt Orationem *Passio Domini nostri &c.* & proferunt verba: *quidquid boni feceris &c.* volunt per ea prodesse pœnitenti, quantum possunt; ergo cum, ut dictum est, possint hoc modo opera pœnitentis omnia (intellige ad remissionem pœnæ pro peccatis tunc remissis necessaria) injungere pro pœnitentia sacramentali, eaque elevare ad satisfaciendum ex opere operato, hoc ipso id implicitè sem-

per volunt facere, & actu faciunt; illaque verba jam non tantum per modum orationis & deprecativè (ut obijciunt Adversarii) sed simul etiam verè authoritativè seu ex potestate clavium proferunt. Atque ita rectè & quidem absque dubio concludi, sub data hypothese, agnoscit ipse Dicastillo *cit. Disp. 14. n. 46.* licet ipse eam ibidem neget. Et hæc est fundamentalis ratio, ob quam aded multi DD. absolutè docent, per memoratam Orationem & verba *Quidquid boni feceris &c.* elevari omnia pœnitentis opera bona (cum prædictis duabus limitationibus) ad rationem pœnitentiæ sacramentalis, & acquirere vim satisfaciendi etiam ex opere operato, sive jam Confessarius ea dicat cum explicita hac intentione, sive, ut communiter fit, tantum cum implicita. In specie autem sic docet Nav. *in Man. cap. 26. n. 24.* Reginald. *lib. 7. n. 23.* Filliuc. *tr. 8. cap. 2. n. 47.* Bonac. & Tan. *ll. cc. Dian. p. 3. tr. 4. Ref. 92. & p. 6. tr. 7. Ref. 5. & part. 9. tr. 9. Ref. 54. & p. 11. tr. 7. Ref. 3. V. Quæro secundo.* Suarez, Henricus, Amicus, Bassæus, Leander, Machadus, Petrus Sotus, & alii, atque ipse etiam S. Thom. apud citatos contra Vasq. *in 3. p. tom. 4. q. 94. art. 2. dub. 1. n. 10.* Card. Lugo *de pœnit. Disp. 25. n. 56.* Palao hîc *Disp. un. p. 21. §. 3. n. 6.* Dicast. *l. c.* & alios.

116. Volunt quidem aliqui apud Dian. *ll. cc.* si pœnitens verba latina & pœnitentiam istam per illa significatam non intelligat, Confessarium debere ea ipsi declarare. Sed hoc neque ad acceptandam, neque ad exequendam pœnitentiam est necessarium. Non ad acceptandam; quia pœnitens non potest quoad eam esse invi-



rus; cùm cedat in magnum ejus bonum, & in nullum prorsus gravamen; manet enim ei adhuc liberum, an & quid boni velit agere, vel non agere, ut constat ex *n. III. sup.* Nec ad exequendam; quia pœnitentiam adimplere aliquis potest, si opus injunctum voluntariè præstet, etiam absque omnianimo, aut cogitatione eam implendi, *sup. lib. I. p. 4. n. II.* Sufficit ergo, si Confessarius tantùm, sicut potest, ita explicitè vel implicitè velit per verba: *Quidquid boni feceris &c.* injungere pro pœnitentia aliquas subsequentes actiones pœnitentis; quamvis iste id ignoret.

17. Aliud est de meritis Beatissimæ Virginis & Sanctorum, de quibus in eadem oratione Confessarius meminit. Nam hæc merita, quia nemo potest alteri in satisfactionem pro peccatis, eorumque pœna delenda applicare, nisi qui possit & velit ei Indulgentiam concedere; ideo Confessarius sic orando aliud non vult, nec velle, aut petere potest, quàm ut per merita B. Virginis & Sanctorum impetret pœnitenti gratiam ad pœnitentiam injunctam dignè peragendam, applicetque ei merita illa quoad fructum impetratorum tantùm, non item quoad satisfactorium. Eodem modo, quia vi Sacramenti Pœnitentiæ ex institutione Christi non possunt injungi opera, nisi tantùm in plenam remissionem vel medicinam peccatorum; ideo Confessarius, etsi oret injuncta opera ita perfici, ut ex opere operantis simul etiam cedant in aliquod augmentum gratiæ & premium vite æternæ; tamen nullo modo vult, nec velle potest, ea ita injungere, ut ejusmodi effectum habeant ex opere operato,

18. Neque per hanc sententiam quidquam derogatur Decreto Trid. *Sess. 14. cap. 8.* ut objicit *Lug. l. c. n. 57.* Nam utique pro gravibus delictis non imponit levissima opera, qui tot, & tanta imponit, quot & quanta sunt necessaria ad delendam temporalem peccatorum pœnam. Præterea cùm per verba *Quidquid boni feceris &c.* non imponatur aliquid determinatè, neque absolutè; sed tantùm conditionatè, adeoque vi hujus impositionis possit pœnitens nihil omnino facere; satis patet, quòd Confessarii nondum sint extra omne periculum reddendi se participes alienorum peccatorum, nisi insuper etiam adhuc, cùm commodè possunt, alias pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutare, & convenientes satisfactiones determinatè & absolutè injungant. Quæ pluribus hîc exponere volui, ut appareat, quàm probabiliter & meritò sententia hæc tradatur à tam multis & magnis DD. absolutè loquentibus, sed juxta prædictas limitationes sententibus; contra quàm non efficaciter impugnetur ab aliis.

Inde autem jam aliæ quoque doctrinæ superius traditæ non malè confirmari possunt. Nim. I. quod pœnitentia etiam post absolutionem possit injungi, *sup. n. 8.* II. per modum consilii & conditionatè, *n. III.* & III. quòd idem numero opus, jam in una confessione injunctum, possit iterum in alia injungi, *n. III. V. Si pœnitens.* Et hæc de Qualitate Pœnitentiæ; nunc de ejusdem Quantitate.

\*\*\*



## §. VI.

## Quanta Pœnitentia sit imponenda ?

119. Rectè Card. de Lugo Disp. 25. de pœnit. n. 60. Si Sacerdos, inquit, sciret, quantam pœnam deberet pœnitens pro peccatis confessis festinare in Purgatorio; & quanta Pœnitentia in hac vita æquivaleret tali pœna, deberet illam per se loquendo imponere. Dixit autem per se loquendo: quia per accidens sæpe non posset imponi ob fragilitatem pœnitentis, qui propter hanc ipsam causam posset sæpe tantam pœnitentiã etiam recusare, tanquam irrationabilem, si Confessarius eam vellet imponere. Quam doctrinam, mirum est, videri potuisse alicui tam implicatam, ut de ea explicanda desperaverit Dicast. & cit. Disp. 14. n. 31. scripserit: componat hac alius; ego non video modum ea conciliandi. Cùm ergo æqualitas inter pœnam purgatorii, & pœnitentiã hujus vite sciri non possit, sed soli DEO nota sit. Reginald. lib. 7. n. 45. & licet sciretur, sæpe tamen tanta pœnitentia non posset ab hominibus in hac vita sustineri; soli autem & mero Confessarij beneplacito etiam non sit taxatio pœnitentiã integrè relinquenda; ideo ut prudens mensura observetur, rectissimè Trid. cit. Sess. 14. cap. 8. decrevit, esse ad qualitatem criminum & facultatem pœnitentium attendendum.

Et quidem in criminibus tria sunt spectanda. I. ipsa gravitas delicti, ratione cujus debet pœnitentia esse vindicativa, & opus injungi pœnale. II. Periculum relapsus; ratione cujus debet injungi pœnitentia, quæ simul etiam sit medicina-

lis, & cautela contra recidivam. Sicuti esse potest. 1. Lectio aliqua Libri Spiritualis. 2. Meditatio v.g. Passionis Christi, quatuor Novissimorum &c. 3. Examen conscientiæ. 4. Auditio Concionum. 5. Aditio Vesperarum. 6. Frequentatio Confessionis & Communionis. 7. Exercitium præsentis Divinæ. & 8. denique sicut in corporali, ita & in spiritali medicina sunt contraria contrariis curanda; atque adeo prodest, imponi avaris & injustis eleemosynam, gulosis jejunium, ebriosis abstinentiam à potu, impuris afflictionem corporis; acediosis exercitia aliqua spiritalia; invidis & maledicis opera aliqua charitatis erga proximum; blasphemis, & pejerantibus orationes, & laudes divinas, & similia alia, quæ Confessariis debent esse præmeditata, ut non omnibus eadem, & non sola Rosaria, vel Litanias imponant. III. Scandalum, ratione cujus potest etiam imponi pœnitentia publica, hoc est, palam & aliis videntibus, aut scientibus peragenda. sup. n. 112. V. Ex operibus. imò quandoque etiam debet, si scandalum aliter tolli non possit, vel debita satisfactio præstari. In quibus casibus tenetur quoque ipse pœnitens in eam consentire. Tan. cit. Disp. 6. q. 8. n. 9.

120. In pœnitente spectanda sunt potissimum I. illius status & vires corporis & fortunæ. Unde utique non rectè imponeretur pauperi eleemosyna; nec graves labores habentibus rusticis jejunia; nec delicatis, & imbecillibus graves castigationes corporis; nec agris longæ orationes. Et verò sæpe expedit agris, vel afflictis imponi, tantum ut aliquot actus eliciant, quibus se in DEI voluntatem resignent;



signent, crucem suam cum patientia perferant &c. De moribundis dictum *sup.* n. 10. II. Dispositio animi. Quando enim Confessarius prudenter timeret, aliquem promeritam pœnitentiam gravem, si imponatur, non impleturum; maximè autem si pœnitens de ea conqueratur, vel roget pro alia sibi faciliore; tunc omnino ejus infirmitati condescendum est, & pœnitentia multum moderanda, vel prorsus mutanda. Idque propter has rationes; ne ei præbeatur occasio novi peccati quoad omissionem pœnitentiæ; vel ne tristis aut afflictus abeat; vel ne conjiciatur in periculum desperationis; vel ne quærat Confessarium, qui nesciat eum curare; vel ne penitus absterreatur à frequentanda confessione, ad quam potius alliciendus esset; cum longè utilius sit, peccatoribus frequenter confiteri, quam alia opera pœnalia exercere, ut ait Dicast. *cit.* *Disp.* 14. n. 49. Consultius omnino est, gravissimo quoque peccatori unum tantum *Pater & Ave* imponere, quam per graviolem pœnitentiam injunctam efficere, ut ex confessionali abeat afflictus, vel desperatus, vel horrore confessionis affectus. Tamb. *de conf.* l. 4. cap. 1. n. 12. Præstat quoque cum parva pœnitentia, quæ tamen videtur esse implenda, ducere confitentem ad Purgatorium, quam cum magna, utpote juxta communiolem præcepta & sub mortali obligante, præcipitare in infernum, inquit Gerson apud Laym. l. 5. tr. 6. cap. 15. n. 11. Rectè autem DD. hîc volunt, pœnitentem esse commo-  
nendum, minorem pœnitentiam injungi solum ob ipsius imbecillitatem, ut propterea ipse deinde spontaneis operibus bonis defectum pœnitentiæ suppleat; & peccata

sua non pro parvitate pœnitentiæ parvi faciat. Sed omitti debet monitio hæc, si ille inde redderetur pusillanimis; & omitti potest, si videatur non profutura, vel certè non necessaria, cum nimirum pœnitens ipse jam id advertit, & per se facturus videtur. Bonac. *loco mox citando.* III. Magnitudo Contritionis. Nam magis contrito levior potest imponi pœnitentia, Bonac. *tom.* 1. *Disp.* 5. q. 5. *sect.* 3. p. 2. n. 17. cum ipsa quoque contritio multum pœnæ demat. Idem est de attritione, quia etiam in reo peccati mortalis perseverat, moraliter saltem, usque ad absolutionem, incipitque tunc ad satisfaciendum pro remissis peccatis esse idonea. Dicast. *cit.* *Disp.* 14. n. 33. Unde & IV. Ulus frequens bonorum operum. Cum enim omnia præter alios fructus habeant etiam fructum satisfactorium ex opere operantis; ideo expungit quis aliquam pœnam temporalem, quoties ejusmodi opus saltem in statu gratiæ, adeoque etiam post commissum mortale, & nondum quidem per absolutionem, sed tamen per perfectam contritionem jam iterum remissum, exercet; etiam si de satisfactione præstanda nihil cogitet, de quo vide *sup.* p. 4. n. 11. Quam ob causam non est improbandum, si iis, qui non solent nisi venialiter tantum peccare, & tamen multa bona opera quovis die peragunt; uti Regulares aliæque devotæ personæ faciunt, injungatur levissimæ tantum pœnitentiæ; quia cum confitentur, plerumque pœnam temporalem pro peccatis suis venialibus debitam jam antè, vel totam, vel quoad maximam partem per alia bona opera persolverunt.

121. Et si ergo Confessarius non rectè faciat,



faciat, si pro gravissimis peccatis levissimas pœnitentias injungat, quia agit contra officium æqui Judicis, boni Medici, & fidelis Dispensatoris Mysteriorum DEI, præbetque occasionem, ut pœnitentes peccata minoris æstiment, liberiùsque ea committant, adeoque ipse, & quidem, ut Palao cit. p. 21, §. 3, n. 9. ait, *absque dubio mortaliter* peccet; & propterea teneatur salutare, ac pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate convenientes satisfactiones injungere, juxta Trid. l. c. Ex prædictis tamen satis patet, quòd pœnitentia adhuc possit esse salutaris, & conveniens, quamvis pro gravitate delictorum, si præcisè secundùm se spectentur, sit multò minor.

Sicut etiam præterea minui potest pœnitentia I. si pœnitens videatur per eam posse allici ad frequentiorē Confessionem, ipsi valde utilem, Bonac. l. c. n. 18. II. si pœnitens jam antè sit lucratus aliquas indulgentias, vel videatur proximè lucraturus; vel ceterè ei imponatur, ut conetur lucrari, sicut hodie passim ubivis ferè quivis lucrari potest, III. Si Confessarius velit post absolutionem dicere Orationem, *Passio Domini*, & in ea per illud: *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris &c.* injungere aliqua opera, si quæ postea adhuc facturus est pœnitens: ut *sup. n. 115. & seqq.* sufficienter ab autoritate & ratione ostensum est. Ut proinde non possim non mirari, quòd Card. Lug. de pœnit. Diss. 25. n. 57. scripserit, non videri sibi hanc doctrinam esse probabilem. IV. quia ipsa confessio est opus valde satisfactorium, utpote valde grave, & arduum. Ideo Confessarius, etsi sciret, quòdnam opus pœnale  
R. P. Stoer. Trib. Pœnit. Lib. II.

esset æquale pœnæ pro remissis peccatis debitæ, tamen non deberet illud, sed aliud levius imponere ratione factæ confessionis; uti & propterea V. quia quodvis opus honestum præter vim satisfactoriam, quàm ex se habet, acquirit insuper etiam vi Sacramenti adhuc aliam ex opere operato, adeoque tunc plus valet & satisfacit, quàm per se, & ex opere operantis potest. Dicast. cit. Diss. 14. num. 33.

Ex dictis hoc & præced. num. patet quàm rectè procedat, & justè excusetur hodierna praxis, quâ leves pœnitentiæ, ut inquit Lugo l. c. n. 60. imponuntur pro gravissimis peccatis.

An & quomodo Confessarius pœnitentiam ab alio, vel à se ipso injunctam, vel ipse etiam pœnitens possit sibi commutare in aliquid aliud, dictum est *sup. l. 1. p. 4. num. 10.*

#### QUÆSTIO IV.

##### De quibusdam aliis obligationibus Confessarii.

PRÆTER eas, quæ ad officium Confessarii spectant, & præced. Quæst. explicatæ sunt, supersunt adhuc multæ & variæ. Reducendo omnes ad paucas. 1. est obligatio audiendi pœnitentem, ejùsque confessionem. 2. instruendi. 3. sanandi. 4. commissos proprios errores corrigendi. 5. Sigillum servandi.

#### ARTICULUS I.

##### De Confessarii obligatione audiendi Confessionem.

K

§. I.